

Ochinum, Castellionem, nec non Erasmi, liberi arbitrii patronum aduersus Lutherum non est quod moremur: nisi in castra eorum transire, & hæreses tueri velimus. Bucerum deniq; & Musculum in partes suas trahere frustra nititur Socinus: cum commentaria eorum diuersum testentur. BUCERVS in verba: Bonum quod volo non facio: Si, inquit, consideramus, quæ Apostolus hoc capite de se confitetur, liquet abundè ut arbitror, illum exemplum in se proponere hominis, cui lex Dei cognita est & amatur. Nam ait legi consentio, quod bona est. Et: bo-

num volo, malum odi. Item: velle adiacet mihi: & rursus: mente serui legi Dei. Ista profecto non sunt hominis profani & nondum credentis Deo, sed sancti & amanti Dei trementisque ad verba eius. Hæc Bucerus: faciens in sequentibus classes aliquot regeneratorum: Quem imitatus MVS CVLVS in eadem verba tres facit sanctorum gradus, per quos ad pietatis perfectionem diuinitus ducuntur, & ad secundum gradum referenda putat, quæ Apostolus hic suo exemplo disputat. Atque hæc de dubiis capitis septimi.



CAPITIS OCTAVI AD ROMANOS.

Argumentum, partitio, analysis.

Claudit nunc disputationem de iustificatione & sanctificatione fidelium per Christum, & breuissimam repetitionem ad piorum consolationem aduersus tentationes accommodat. Sunt enim duo malorum genera, quæ fidem piorum maxime perturbare solent. Vnum est sensus reliquiarum peccati, quas in carne sua sancti sentiunt, de quibus Apostolus ipse modo querebatur. Alterum sunt varia afflictiones fidelium in mundo: Illa cum iustificatione & sanctificatione nõ posse consistere: ista iustitiæ Dei repugnare videntur. Vtrique tentationi remedia ostendit Apostolus: Priori quidem, quod licet peccatum sit reliquum, nõ sit tamen damnabile piis, modo non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulent: quod ut sedulo studeant hortatur: Posteriori vero, quod afflictiones piorum causas habeant æquissimas & salutare in Dei consilio. Totum proinde caput est de piorum ἀναρροφία & certitudine salutis in tentationibus peccati & crucis, admodum consolatorium, tribus potissimum partibus constans.

PRIMA PARS est consolatio doctrinalis & hortatoria piorum aduersus peccati inhabitantis reliquias: vsque ad vers. 17. Propositio consolationis est: In piis manet peccatum inhabitans (quod Apostoli exemplo & sensu constat)

sed non condemnatio. Subiecti limitatio additur gemina. 1. modo sint in Christo Jesu, hoc est, fide Christo infiti. 2. modò ambulent non secundum carnem, sed secundum spiritum, hoc est, spiritu regenerati, peccato reluctantes meo exemplo v. i. Nulla igitur nunc, &c. Limitationis prioris, quod credentibus

Yy